



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 6. Religio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

quo Noruegi, & Islandi; & *Suecicum*, quo omnes Sueci loquuntur.

§. 6. *Religio.*

VERÆ Religioni olim addictissimi fuere Germani, & qui huic adhærent eam constantissimè profitentur: vulgò tamen Religionem potius Principis, quàm suam sequuntur. Primùm ab Hussitis, Taboritis, & Picardis vexata est, sed superiori sæculo longè funestius per Martinum Lutherum Apostatam Monachum, quem superbia, & libido ab Ecclesiâ diuulsit. Sæuiit & eodem tempore inter Heluetios Zuinglius factionis quoque suæ caput, qui etiam cum Luthero exercuit inimicitias. At quot mala hinc exorta sunt? quot hæreses ex Lutheranâ hydrâ pullularunt? legatur Florimundus Ræmundus in hæresi nascente: ubi etiam obseruat Lutherum ipsum miratum esse prolem suam, & pesti cuius auctor ipse fuerat remediũ frustra quæsiuisse. Nunc in plerisque locis principis tantùm viger Religio. Lutherani etiam Ecclesiis præficiuntur, vt Archiepiscopatibus Magdeburgensi, & Bremensi, Episcopatibus Halberstadiensi, Verdensi, & aliis. Per Societatem nostram potissimùm vera Religio sterit, cuius primipilus olim Petrus Canisius vir spectatæ iuxtà doctrinæ, ac pietatis.

§. 7. *Politia.*

SUPREMVM caput habet Imperatorem Augustum, aliquando Imperij candidatũ Cæsarem vno tantùm gradu ab Imperio disjunctum. Exortum est Imperium hoc in Carolo Magno, mox in stirpe Gallicâ seruatum vsque ad Conradum primum, ex quo cœpit eligi à proceribus Imperij, donec sub Othone III. aut vt alij malunt post Fridericum secundum, ius suffragij ad septem Electores contractum est. Locus electionis olim incertus erat; nam Otho I. Aquisgrani; 2. Vormatiæ; 3. Romæ selectus fuerat, postea additus fuit Francofurti ad Mœnum per Bullam Auream quam Carolus IV. emisit in Comitibus Norimbergensibus. Selectus Imperator coronabatur olim Aquisgrani ab Archiepiscopo Colonensi coronâ ferreâ, cuius loco nunc substituta est aurea cum lamina ferrea inserta, quæ asseruatur ibidem Aquisgrani. Gladius verò orbis, & paludamentum visuntur Norimbergæ, vnde hæc anti-